



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Patriarchæ Hierosolymitano apostolicæ sedis Legato.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

effectus, à quibus tu eos salubribus monitis & consiliis studeas revocare, talem te ipsum in servitute divina fatagens exhibere ut ab his qui sunt intus & ab his qui sunt foris bonum habere testimonium merearis. Ceterum, sicut nobis scripsisti, præfati captivi non habent nisi quandam vetulum sacerdotem qui eis possit ministrare divina. Vnde fraternitatem tuam humiliter rogaverunt ut unum ex ipsis in ecclesiasticis ministeriis eruditum in Diaconum promoveres, quod tu sine nostra licentia facere noluisti. Nos autem ut in hoc eorum adimpleas desiderium suademus, ordinandi eum tibi liberam concedentes auctoritate apostolica facultatem. Datum Laterani x. v. Kal. Februarij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

P A T R I A R C H Æ
Hierosolymitano apostolicæ sedis Legato.

Recepimus litteras doloribus plenas & miseriis cumulas quas apostolatu nostro miserunt venerabilis frater noster Patriarcha Alexandrinus & qui Alexandria sunt captivi, ærumnas & pressuras quas sustinent exponentes, & postulantes suppliciter cum gemitu & mœrore quatinus ad liberationem eorum misericorditer intendamus, inducendo fratres Templi & Hospitalis ac Reges & Principes orientalis provincie ut per commutationem captivorum ad liberandum illos inclinent animos cum effectu; ne propter acerbiteriam pecuniarum quas longo tempore sunt perpeffi apostatate cogantur, cum prompto sint spiritu parati tantum illis exhibere servitij quantum solet eisdem ab infidelibus captivis impendi; nihil amplius postulantes ab eis quam quod ipsi sunt soliti hujusmodi exhibere captivis, ut saltem hoc modo periculum negationis evadant. Nos autem super hoc habito cum fratribus nostris diligenti tractatu, petitionem eorum favore perpendimus apostolico prosequendam, cum ipsi pro defensione fidei Christianæ captivitatem incurrerint & teneantur quasi pro Christo captivi, qui fidelibus suis dicturus est in iudicio: *Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi; quia in carcere eram, & venistis ad me. quandiu enim fecistis hoc uni de fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Et è contrâ dicturus est reprobis: *Discedite à me maledicti in ignem æternum qui paratus est diabolo & angelis ejus.* Quasi diceret manifestus: *Qui quempiam*

Tom. II.

meorum fidelium à carcere liberaverit, & ego illum eripiam ab inferno, ne cum diabolo & angelis ejus perpetuò crucietur in igne gehennæ, sed cum angelis sanctis in regno Dei perenniter gloriatur. Cum ergo captivis hoc humanitatis solatium & ex officio caritatis & ex præcepto Domini debeat, transgressores profectò videntur qui nolunt, cum possint, ad redemptionem intendere captivorum, pro qua secundum constitutiones canonicas & legitimas diltrahi debent ecclesiastica bona, quæ in aliis casibus alienari non licet. Verendum est enim ne secundum Apostolum non sint justitiæ divinæ subjecti, si qua forsitan contra hoc suam justitiam statuerunt, legem Dei propter traditiones hominum dimittentes, volendo plus rebus consulere quam personis, pecunias magis quam animas diligentes, quod irrefragabili videtur argumento convinci, si certè quos liberant pro pecuniis acquirendis, nolint pro redimendis fratribus liberare. Cupientes igitur utrorumque providere saluti, fraternitatem tuam rogandam duximus & monendam, per apostolica scripta mandantes quatinus ex parte tam nostra quam tua præscriptos fratres ac Reges & Principes in nomine Domini exhorteris, consulendo fideliter & efficaciter inducendo ut ad redemptionem illorum per congruam commutationem intendant & contra persecutores fidei Christianæ his pro fide Christi potentibus armis utantur quibus utique Dominus vim suæ virtutis creditur facilius impensurus; cumque hoc acceptabile opus populus intellexerit Christianus, ad subventionem eorum liberaliùs suas manus extendant, & nos, si devotè fuerimus exauditi, debeamus eos in petitionibus suis plenius exaudire. Quicquid autem super hoc actum fuerit nobis non differas intimare, ut per tuam relationem instructi, juxta quod nobis divina suggererit inspiratio procedamus. Datum Laterani Idibus Januarij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

V N I V E R S I S C A P T I V I S
in Alexandria & Babylonia constitutis.

Recepimus litteras doloribus plenas & miseriis cumulas quas tam vos quam venerabilis frater noster Alexandrinus Patriarcha nostro apostolatu direxistis, ærumnas & pressuras &c. in eundem fere modum ut in superiori qua mittitur Patriarchæ Hierosolymitano usque periculum negationis evadant. Nos autem, qui cum Apostolo

DD dd ij

Epist. 147.
De commutatione captivorum.

Epist. 148.
Super eodem.